



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

4. Incontinentia muliebris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

trix, ad suæ libidinis assensum trahit: ille datæ Christo fidei memor, magnopere renuere; contra lupa illecebras intendere, prensarèquè reluctantem. Denique conatu summo, manibus se impuris castus juvenis avellit, & in conclave proximum fugit, vesanà feminà, quòd elabi non possit prædam sciret, modicum excurrere sinente. Tentatis puer eò intervallò foribus, eas diligentissimè obseratas sentiens, eò desperationis subitò raptus est, ut laqueo ex obvio fune, collo insertò, sese de tigillo suspenderit. Favuit ignoscens Deus castæ mentis proposito, inconcessam per opinionis errorem declinandi flagitii viam ineunti. Ruptus brevi laqueus, pendentis corpus cum sonitu in subjectum effudit solum. Accurrit excita strepitu nequam mulier, & ad spectaculum inopinatissimum tota cohorrescens, dilectum ex stupore castus mortuo similem verè obiisse rata, nexu & ipsa raptim nodo, ex eodem tigno constrictis faucibus, sese dejicit. Non multò post reversus è deliquio juvenis oculos aperit, & pendentem videns feminam, admonente humanitatis officio, utcunque de se meritæ, succurrere conatur. Funem frangit, excitare sopitos, si fortè, sensus succussione tentat, aquam inspergit. Frustra omnia. Infelix anima evolaverat, nulla jam arte revocabilis. Ita mors à duobus advocata, sapienti discrimine, innocenti pepercit, fontem extinxit. P. Petrus Possinus Parte V. Histor. Soc. lib. 10. n. 239. anno Ch. 1590.

IV. Nihil violentius feminà, quando vel amat, vel odit. verè Seneca in Medea in choro act. 3.

Cæcus est ignis stimulatus ira:

Nec regi curat, patiturve frænos:

Haud timet mortem; cupit ire in ipsos  
obvius enses.

Causa indomitæ flammæ, formosa Hippolyti facies. Seneca in Hippolyto act. 2. Chor.

Raris forma viris (sæcula prospice)

Impunita fuit.

(d) Pulchritudo corporis blandum malum, & amabile periculum; plurimos pellexit & perdidit. Secundùm Pindarum est Præco Veneris. Juxta Xenophontem: pulchritudo est ignis, qui tangentes urit, distantes inflammat. S. Basilius vocat aculeum voluptatis. S. Grego. Nazianz. dulcem illecebram, charum venenum. Josephum illum Hebræum cur deperiit Ægyptia domina? quia erat pulchrâ facie, & de-

(d) Incontinentia muliebris.



corus aspectu. Genes. 49. adeo venustas oris etiam innocens vulnerat. Experientia non opus est exemplis. Crispum Constantini M. filium quid perdidit? Noverca: cur? quia mulieri lascivæ placuit juvenis: hinc ob repulsam criminationes, & innocentis cædes. Non impunè tamen. Calumniatrix sceleris comperta, ardenti balneo interempta est. Baron. ad annum Ch. 324. Idem ex Sigonio ad annum 996. refert: Mariam augustam, Othonis III. Imperatoris conjugem, cum Mutinensem Comitem nequicquam in amorem suum pellicere tentasset, cum ad maritum de stupro insinulasse. Credulus Imp. insontem plecti iussit. Comitissæ uxor innocentiam viri candenti laminâ innoxie manibus tractatâ demonstravit. Augusta Calumniæ convicta, rogo est addicta. Phædra de se ipsa pœnas sumpsit, nam crimen falsò impactum, plerumque in caput auctoris recidit. Triumphat tamen aliquando ad tempus victrix improbitas. Documentum ejus rei *Baldvinus* Latinorum in Oriente Imperator fuit, quem *Ioannizus*, Græcorum Imperator, victum victumque cum in custodia attineret, & is nefandis Imperatricis sollicitationibus assentiri, pro Christiana constantia nollet, accusatus, condemnatus, manibus & pedibus amputatis, in subjectam urbis Bizantinæ vallem præcipitatus, feris & avibus pabulum est objectus. Non tetigere castissimum corpus bestia. Triduo post efflavit animam constantissimus heros in fide, Christo, & virtuti data. Calvaria auro inclusa, pro Scypho serviit crudelitati. Petrus Douterman in Constantinop. Belgica lib. 4. c. 15.

V. (e) Jam præmia Castitatis attendamus. Hippolytus ad vitam revocatus, quid significat aliud, quam virtutem emori non posse, nec extingui: vivit etiam post fata in hominum memoria, & laudibus celebratur. Quod verò juvenis castissimus *minores* inter *Deos* sit collocatus, indicat, ut nullum est difficilius certamen, quam quod pro castitate geritur, ita proxime ad cœlestium naturam accedere, qui mortali in corpore mentem servant incorruptam, & pudoris integram. S. Augustini dictum est serm. 250. de Temp. Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia Castitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Vicit Hippolytus, & divum meruit honores. Et verò quid gloriosius, quam quod nomen *Virbij*, seu *bis Viri* tulerit. Satis erat, si adolescentem, *virum* vocaremus. Sed major erat viro, & duplo major, qui in pugna tam ardua, mediis in Gentilium tenebris, Veneris incestæ cultorum, ausus est esse bonus, castus, integer. Equidem

C c c

ut

(e) Castitatis præmia.